



DE UTOPIAE LIBRIS SEU DE MUNDI IMAGINIBUS QUAS SCRIPTORES VETERES ET RECENTIORES ADUMBRAVERUNT



Q. Horatii Flacci Epodon XVI.....	pag. 2
P. Vergilii Maronis Ecloga IV.....	pag. 4
C. Plinii Secundi Naturalis Historia VI, 37.....	pag. 6
Francisci Petrarcae Ad Thomam Messanensem.....	pag. 7
Thomae Mori Utopia II,1	pag. 10
Ludvig Holberg Niels Klim.....	pag. 13

PETRARCHAE DE VIRIS ILLUSTRIBUS



Francisci Petrarcae De Hanibale Carthaginiensium duce.....	pag. 17
Africa Liber VI Mago moriens queritur.....	pag. 19



Q. Horatii Flacci

Epodon liber

XVI

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
suis et ipsa Roma viribus ruit.
quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
minacis aut Etrusca Porsenae manus
aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer
novisque rebus infidelis Allobrox,
nec fera caerulea domuit Germania pube
parentibusque abominatus Hannibal:
inopia perdemus devoti sanguinis aetas
ferisque rursus occupabitur solum;
barbarus heu cineres insistet victor et urbem
eques sonante verberabit ungula;
quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
—nefas videre—dissipabit insolens.
forte quid expediat communiter aut melior pars,
malis carere quaeritis laboribus.
nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum
velut profugit exsecrata civitas
agros atque lares patrios, habitandaque fana
apris reliquit et rapacibus lupis,
ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit aut protervos Africus.
sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
ratem occupare quid moramur alite?
sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
vadis levata, ne redire sit nefas;
neu conversa domum pigeat dare linthea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
im mare seu celsus procurrerit Appenninus
novaque monstra iunxerit libidine
mirus amor, iuvet ut tigris subsidere cervis,
adulteretur et columba miluo,
credula nec ravos timeant armenta leones
ametque salsa levis hircus aequora.



haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis
 eamus omnis exsecrata civitas,
aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
 inominata perpremat cubilia.
vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
 Etrusca praeter et volate litora.
nos manet Oceanus circumvagus: arva beata
 petamus, arva divites et insulas,
reddit ubi cererem tellus inarata quotannis
 et inputata floret usque vinea,
germinat et numquam fallentis termes olivae
 suamque pulla ficus ornat arborem,
mella cava manant ex ilice, montibus altis
 levis crepante lympa desilit pede.
illic iniussae veniunt ad mulctra capellae
 refertque tenta grex amicus ubera,
nec vespertinus circumgemit ursus ovile
 nec intumescit alta viperis humus;
nulla nocent pecori contagia, nullius astri
 gregem aestuosa torret inpotentia.
pluraque felices mirabimur, ut neque largis
 aquosus Eurus arva radat imbribus,
pinguia nec siccis urantur semina glaebis,
 utrumque rege temperante caelitum.
non huc Argoo contendit remige pinus
 neque inpudica Colchis intulit pedem;
non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
 laboriosa nec cohors Ulixei.
Iuppiter illa piaae secrevit litora genti,
 ut inquinavit aere tempus aureum,
aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum
 piis secunda vate me datur fuga.



P. Vergilii Maronis

Ecloga IV

Sicelides Musae, paulo maiora canamus!
non omnis arbusta iuuant humilesque myricae;
si canimus siluas, siluae sint consule dignae.

Vltima Cumaei uenit iam carminis aetas;
magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
iam noua progenies caelo demittitur alto.
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
casta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.
teque adeo decus hoc aeui, te consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri,
inrita perpetua soluent formidine terras.
ille deum uitam accipiet diuisque uidebit
permixtos heroas et ipse uidebitur illis,
pacatumque reget patriis uirtutibus orbem.

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
errantis hederas passim cum baccare tellus
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones;
ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
occidet et serpens, et fallax herba ueneni
occidet; Assyrium uulgo nascetur amomum.
at simul heroum laudes et facta parentis
iam legere et quae sit poteris cognoscere uirtus,
molli paulatim flauescet campus arista
incultisque rubens pendebit sentibus uua
et durae quercus sudabunt roscida mella.
pauca tamen suberunt priscae uestigia fraudis,
quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
alter erit tum Tiphys et altera quae uehat Argo
delectos heroas; erunt etiam altera bella
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.



hinc, ubi iam firmata uirum te fecerit aetas,
cedet et ipse mari uector, nec nautica pinus
mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
non rastros patietur humus, non uinea falcem;
robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.
nec uarios discet mentiri lana colores,
ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
murice, iam croceo mutabit uellera luto;
sponte sua sandyx pascentis uestiet agnos.

'Talía saecla' suis dixerunt 'currite' fuis
concordes stabili fatorum numine Parcae.
adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
cara deum suboles, magnum Iouis incrementum!
aspice conuexo nutantem pondere mundum,
terrasque tractusque maris caelumque profundum;
aspice, uenturo laetentur ut omnia saeclo!
o mihi tum longae maneat pars ultima uitae,
spiritus et quantum sat erit tua dicere facta!
non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus
nec Linus, huic mater quamuis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice uictum.

Incipe, parue puer, risu cognoscere matrem
(matri longa decem tulerunt fastidia menses)
incipere, parue puer: qui non risere parenti,
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.



C. Plinii Secundi
Naturalis Historia
VI, 37

Sunt qui ultra eas Fortunatas putent esse quasdamque alias, quo in numero idem Sebosus etiam spatia complexus Iunoniam abesse a Gadibus DCCL p. tradit, ab ea tantundem ad occasum versus Pluvialiam Caprariamque; in Pluvialia non esse aquam nisi ex imbri. ab iis CCL Fortunatas contra laevam Mauretaniae in VIII horam solis; vocari Invallem a convexitate et Planasiam a specie, Invalis circuitu CCC p.; arborum ibi proceritatem ad CXL pedes adulescere.

Iuba de Fortunatis ita inquisivit: sub meridiem quoque positas esse prope occasum, a Purpurariis DCXXV p., sic ut CCL supra occasum navigetur, dein per CCCLXXV ortus petatur. primam vocari Ombrion, nullis aedificiorum vestigiis; habere in montibus stagnum, arbores similes ferulae, ex quibus aqua exprimatur, e nigris amara, ex candidioribus potui iucunda alteram insulam Iunoniam appellari; in ea aediculam esse tantum lapide exstructam. ab ea in vicino eodem nomine minorem, deinde Caprariam, lacertis grandibus refertam. in conspectu earum esse Ninguarium, quae hoc nomen acceperit a perpetua nive, nebulosam. proximam ei Canariam vocari a multitudine canum ingentis magnitudinis — ex quibus perducti sunt Iubae duo —; apparere ibi vestigia aedificiorum. cum omnes autem copia pomorum et avium omnis generis abundant, hanc et palmetis caryotas ferentibus ac nuce pinea abundare; esse copiam et mellis, papyrus quoque et siluros in omnibus gigni. infestari eas belvis, quae expellantur adsidue, putrescentibus.



Francisci Petrarcae

Ad Thomam Messanensem, de Thile insula famosissima sed incerta, opiniones diversorum.

[1] Perambulanti veterum confinia, accessu quidem aspera sed amena cum perveneris, creber scrupulus ingenii pede calcandus est. Hoc sane, quem tu tibi nuper iniectum scribis, ego iampridem premor, queroque itidem quam mundi parte Thile sit insula. Quero, sed, ut verum fatear, nec certo indice nec ad rem ducentibus coniecturis, aut ipsam aut ullam inveniendi spem invenio. Et hec tibi quidem, ex ipsis britannici oceani litoribus, propinquior — ut fama est — ipsi quam vestigamus insule, scribo; profecto unde, vel antiquo literarum studio vel nova ac sollicita locorum indagine, certius aliquid scribere posse debueram. [2] Ultimam quippe terrarum esse, non ambigitur: hoc Virgilius canit, hoc Seneca, hoc secutus utiunque Boetius, hoc omnis denique scriptorum cohors. Illud quoque satis inter multos convenit, in occiduo tractu sitam, quam longissime ab ortu solis et a meridie recessisse. Ceterum nobis, in occidente positis, stimulos addidit ipsa vicinitas; si ad orientem sita esset, forte non magis Thilen quam Thoprobanen curaturis. [3] Cum vero Britanniam et Hibernen cuntasque Orchades in occidentali oceano ad aquilonem, inque eodem Fortunatas insulas ad austrum, partim visu partim assiduo commeantium testimonio non aliter pene quam ipsam Italiam aut Gallias nosceremus, circumspicere mirarique cepimus aliquantoque scrupulosius inquirere sicubi undis emergeret celebrata hec omnium literis insula, quam in nostro oceano et antiquorum locavit autoritas et nunc etiam orientalium populorum ac totius orbis confirmat opinio. Quid multa? evenit huic quod sepe claris viris accidit, ut ubique sint quam in patria notiores. Percontare occidentis accolae: indocti ipsum insule nomen ignorant; literatis utique clarum nomen insule est, insula vero non minus ignota quam vulgo. [4] Michi quidem de hac re cum Ricardo, quondam Anglorum regis cancellario, sermo non otiosus fuit; viro ardentis ingenii nec literarum inscio, et qui, ut in Britannia genitus atque educatus abditarumque rerum ab adolescentia supra fidem curiosus, talibus presertim questiunculis enodandis aptissimus videretur. [5] Ille autem, seu quia sic speraret, seu quia puderet ignorantiam fateri — qui mos hodie multorum est, qui non intelligunt quanta modestie laus est homini nato nec nosse omnia valenti, profiteri ingenue se nescire quod nesciat — seu forte, quod non suspicor, quia huius michi archani notitiam invideret, respondit certe se dubietati mee satisfacturum, sed non prius quam ad libros suos, quorum nemo copiosior fuit, in patriam revertisset. [6] Erat enim, dum in amicitiam eius incidi, tractandis domini sui negotiis apud Sedem Apostolicam peregrinus; ea scilicet tempestate, qua inter prefatum dominum suum et Francorum regem prima diuturni belli semina pullulabant, que cruentam messem postea protulere; necdum reposite falces aut clausa sunt horrea. Sed dum promissor



ille meus abiisset, sive nichil inveniens, sive noviter iniuncti pontificalis officii gravi munere distractus, quamvis sepe literis interpellatus, expectationi mee non aliter quam obstinato silentio satisfacit. Ita michi Thile amicitia britannica nichil notior facta est.

[7] Post annos vero venit in manus meas libellus *De mirabilibus Hybernie*, a Giraldo quodam, aulico Henrici secundi regis Anglorum, licet tenui rerum filo, non rudi tamen verborum arte contextus; quem ne totum bibliothecae nostrae foribus excluderem, brevis quedam ipsius particula promeruit, ubi de hac eadem insula nostrae similis et operosa dubitatio inserta erat; itaque similitudo una ingenii michi totius operis commendavit auctorem. [8] Aliquot ibi scriptorum sententias attingit, quod insularum oceani, quae circa Britanniam quae ve inter Arthon et occasum sunt, extrema sit Thile; ubi "estivo nulla nox, brumali contra solstitio nulla dies; ultra quam pigrum atque concretum" iaceat "mare". Ad hec Solinum et Ysidorum testes citat; ignotam tamen nichilominus occidenti insulam, "nullamque" huius vel "nature" vel "nominis" illic esse confirmat; ideoque, coniecturam sequens, aut "famosam" sed "fabulosam insulam" existimat, aut "infinito" ab aliis spatio secretam, nusquamque alibi quam in intimis "borealis oceani secessibus requirendam"; cuius sententiae

astipulatorem facit Orosium. Poterat et Claudianum, ubi
yperboreo damnatam sidere Thilen

ait. Hoc tamen omisso, rem agit, et ad hunc fere modum ille disputat. Tu testes quos inducit, examina quam sibi constant, et quanta sit dictis fides intelliges. [9] Ego enim nunc a libris omnibus quam longissime absum, et id unum in hac peregrinatione molestissimum experior: domo egressus, nullum latine linguae murmur audio; domum regressus, comites libros cum quibus loqui sum solitus, non habeo; omne michi colloquium cum memoria mea est. Hec igitur ex tempore et ex memoria tibi scribo, ita ut de quibus illam hesitantes video, silentio potius quam calamo committenda crediderim; multa sane non aliter quam si sub oculis libri essent, memini, quae frequens horum cogitatio michi altius atque tenacius impressit. [10] Plinium ille Secundum forte non legerat, quo nemo certius rem expressit; quam vere diffinire non ausim, cum illud semper occurrat: 'quid ita omnibus habeatur incognita insula tam vicina, tam celebris?' Sed dicam quid ipse Plinius Secundus, secundo *Naturalis Historie* libro, senserit: Thilen esse insulam "sex dierum navigatione in septentrionem a Britannia distantem", ubi semestrem estivum diem ac parvis spatii brumalem noctem esse coniectat, et violento, quantum sibi videtur, rationis argumento et preterea nescio quo Phoea alias Pithia massiliensi teste utitur. Quae si vera sunt, quantum hinc abest Thile ipsa quam querimus, cuius apud Indos — ut auguror — fama ingens, apud nos notitia nulla est! [11] Servius quidem, etsi grammaticus melior quam vel cosmographus vel poeta, sequens tamen priorum vestigia super illum Virgilii locum

tibi serviat ultima Thile,

sic ait: «Thile insula est oceani inter septentrionalem et occidentalem plagam, ultra Britanniam, Hyberniam, Orchadas». Vides ut unum fere signum omnes aspiciant, ut inter septentrionem et occasum, ac non procul a Britannia, vario sermone conveniant, ubi si



corpore convenissent, re cogente mutassent forte sententiam. [12] Duo longius abscedunt a ceterorum dictis, sed an ad verum propius accedant an propter distantiam non ita manu, ut aiunt, mendacium prendi possit, incertum est; horum alter Orosius est, cuius supra mentio est habita, alter vero Pomponius Mela, nobilis cosmographus, quem Plinius, in multis sequi solitus, hic neglexisse visus est. [13] Is enim toto anno unum solis ortum verno, unumque autumnali equinoctio occasum, atque ita una die duntaxat unaque nocte distinctum anni spatium yperboreis populis assignat; "primis in litore asiatico super Aquilonem Ripheosque montes" habitantibus, omnium — siquid sibi credimus — mortalium innocentissimis felicissimisque; Thilen autem inter oceani insulas "Belgarum litoribus appositam" testatur, "noctes ibi breves, hieme" quidem "fuscas, estate lucidas, solstitio nullas". En quanta discordia! ut michi quidem nichilo videatur occultior insula ipsa quam veritas.

[14] Sed bene habet, quia quod laboriose querimus, impune nescimus. Lateat ad aquilonem Thile, lateat ad austrum Nili caput; modo non lateat in medio consistens virtus et huius vite brevis semita, per quam magna pars hominum palpitando titubandoque proficiscitur ad incertum finem ambiguo calle festinans. [15] Ne ergo nimis magnam operam impendamus in inquisitione loci, quem forsitan inventum cupide linqueremus, claudenda iam epystola et tempus curis melioribus impendendum est. Hec sunt que de hoc ambiguo tibi nunc ex ipsa, ut ita dixerim, inquisitionis area excutere potui; reliqua a doctioribus exige. Michi quidem si hec nature latibula rimari et abdita nosse negatum fuerit, me ipsum nosse sufficiet; hic oculos aperiam, hic figam intuitum. Orabo Eum qui me fecit, ut se michi meque simul ostendat et, quod votum Sapientis est, "notum michi faciat finem meum". Vale.



Thomae Mori Utopia ca. 1478 - 1535 II,1

Utopiensium insula in media sui parte (nam hac latissima est) millia passuum ducenta porrigitur, magnumque per insulae spatium non multo angustior, fines uersus paulatim utrinque tenuatur. hi uelut circumducti circino quingentorum ambitu millium, insulam totam in lunae speciem renascentis effigiant.

Cuius cornua fretum interfluens, millibus passuum plus minus undecim dirimit, ac per ingens inane diffusum, circumiectu undique terrae prohibitis uentis, uasti in morem lacus stagnans magis quam saeuens, omnem prope eius terrae aluum pro portu facit. magnoque hominum usu naues quaqua uersus transmittit. fauces hinc uadis, inde saxis formidolosae. In medio ferme interstitio una rupes eminet, eoque innoxia, cui inaedificatam turrim praesidio tenent, caeterae latentes & insidiosae.

Canales solis ipsis noti, atque ideo non temere accidit, uti exterus quisquam hunc in sinum, nisi *Utopiano* duce, penetret, ut in quem uix ipsis tutus ingressus est, nisi signis quibusdam e litore uiam regentibus. His in diuersa translatis loca, hostium quamlibet numerosam classem facile in perniciem traherent. Ab altera parte non infrequentes portus. At ubique descensus in terram ita natura munitus, aut arte, ut ingentes copiae paucis inde queant propugnatoribus arceri. Caeterum uti fertur, utique ipsa loci facies prae se fert, ea tellus olim non ambiebatur mari.

Sed *Utopus* cuius utpote uictoris nomen refert insula, Nam ante id temporis *Abraxa* dicebatur, quique rudem atque agrestem turbam ad id quo nunc caeteros prope mortales antecellit cultus, humanitatisque perduxit, primo protinus appulsu uictoria potitus, passuum milia quindecim, qua parte tellus continenti adhaesit, excindendum curauit, ac mare circum terram duxit.

Quumque ad id operis non incolas modo coegisset (ne contumeliae loco laborem ducerent) sed suos praeterea milites omnes adiungeret, in tantam hominum multitudinem opere distributo incredibili celeritate res perfecta, finitimos (qui initio uanitatem incoepti riserant) admiratione successus ac terrore perculerit.

Insula ciuitates habet quatuor & quinquaginta spatiosas omnes ac magnificas lingua, moribus, institutis, legibus, prorsus iisdem, idem situs omnium, eadem ubique quatenus per locum licet, rerum facies. Harum quae proximae inter se sunt millia quatuor ac uiginti separant. Nulla rursus est tam deserta, e qua non ad aliam urbem pedibus queat unius itinere diei perueniri.

Ciues quaque ex urbe terni senes ac rerum periti tractatum de rebus insulae communibus, quotannis conueniunt Nam *Amaurotum*. (ea urbs quod tanquam in



umbilico terrae sita maxime iacet omnium partium legatis opportuna) prima, princepsque habetur.

Agri ita commode ciuitatibus assignati sunt, ut ab nulla parte minus soli quam duodecim passuum millia una quaeuis habeat. ab aliqua multo etiam amplius, uidelicet qua parte longius urbes inter se disiunguntur. Nulli urbi cupido promouendorum finium. Quippe quos habent agricolas magis eorum se, quam dominos putant. Habent ruri per omnes agros commode dispositas domos, rusticis instrumentis instructas. Hae habitantur ciuibus per uices eo commigrantibus.

Nulla familia rustica in uiris mulieribusque pauciores habet, quam quadraginta praeter duos ascriptitios seruos, quibus pater materque familias graues ac maturi praeficiuntur, & singulis tricenis familijs phylarchus unus.

E quaque familia uiginti quotannis in urbem remigrant, hi qui biennium ruri compleuere.

In horum locum totidem recentes ex urbe subrogantur, ut ab his qui annum ibi fuere. atque ideo rusticarum peritiores rerum, instituuntur, alios anno sequente docturi, ne si pariter omnes ibi noui, agricolationisque rudes essent, aliquid in annona per imperitiam peccaretur.

Is innouandorum agricolarum mos, & si solennis sit, ne quisquam inuitus asperiores uitam cogatur continuare diutius, multi tamen quos rusticae rei studium natura delectat, plures sibi annos impetrant.

Agricolae terram colunt, nutriunt animalia, ligna comparant, atque in urbem qua commodum est, terra, mariue conuehunt. Pullorum infinitam educant multitudinem, mirabili artificio. Neque enim incubant oua gallinae, sed magnum eorum numerum calore quodam aequabili fouentes animant, educantque, hi simul atque e testa prodire, homines, uice matrum comitantur, & agnoscunt. Equos alunt perquam paucos, nec nisi ferocientes, neque alium in usum quam exercendae rebus equestribus iuuentuti.

Nam omnem, seu colendi, seu uehendi laborem, boues obeunt, quos (ut fatentur) equis impetu cedere, sic patientia uincere, nec tot obnoxios morbis putant, ad haec minore impendio, & operae, & sumptus ali, ac denique laboribus emeritos, in cibum tandem usui esse.

Semente in solum panem utuntur. Nam aut uuarum uinum bibunt, aut pomorum, pirorumue, aut denique aquam nonnunquam meram, saepe etiam, qua mel, aut glycyrizam incoxerint, cuius haud exiguum habent copiam.

Quum exploratum habeant (habent enim certissimum) quantum annonae consumat urbs, & circunietus urbi conuentus, tamen multo amplius & sementis faciunt, &



pecudum educant, quam quod in suos usus sufficiat, reliquum impartituri finitimis.

Quibuscunque rebus opus est, quae res ruri non habentur, eam suppellectilem omnem ab urbe petunt, & sine ulla rerum commutatione, a magistratibus urbanis nullo negotio consequuntur. Nam illo singulo quoque mense, plerique ad festum diem conueniunt.

Quum frumentandi dies instat, magistratibus urbanis agricolarum phylarchi denunciant, quantum ciuium numerum ad se mitti conueniat, quae multitudo frumentatorum, quum ad ipsum diem opportune adsit, uno prope sereno die tota frumentatione defunguntur.



Ludvig Holberg (1684-1754)

Niels Klim (1741)

[§ 14] Metropolis huius reipublicae dicitur Martinia, unde nomen sortita est tota regio. Civitas est situs opportunitate, operum nobilitate, navigandi solertia, et navium bellicarum apparatu celebratissima. Magnitudine credo, et incolarum numero, Lutetiae haud cedere, tanta stipatione cunctae urbis plateae tenebantur, ut fustibus ac pugnis iter nobis patefacere cogeremur, ituri ad eam urbis regionem, ubi habitabat Syndicus magni Senatus. Nam hic vir erat, cui me dono oblaturus erat Consul. [§ 15] Cum prope aedes syndici ventum esset, hospes meus deversorium ingreditur, vestimenta ibi compositurus, cum vellet nitido ac decenti habitu syndico se sistere. Accurrebant catervatim mercenarii quidam, vulgo dicti Maskatti, sive exornatores, quorum opera uti solent omnes, antequam palatia senatorum ingrediuntur. Vestimenta hi verrunt, maculas abstergunt, et turbata, usque ad minimas plicas, mira arte et solitudine componunt. Unus ex his Maskattis arreptum mox consulis gladium tersit, et nitidum reddidit. Alius fascias versicolores caudae illius annexuit: nam nihil est, quod hisce simiis cordi adeo sit, quam ornatus caudarum. Erant senatores, maxime vero senatorum uxores, quarum caudae festis diebus, vix mille thalerorum sumptu, nostrae monetae, decorari poterant. Tertius Maskatti, sive exornator cum instrumento aderat geometrico, quo dimensionem vestium fecit, visurus, an apta et symmetrica essent omnia. Quartus accurrit cum lagena aquae fucatae, qua faciem illius adulteravit. Quintus pedes examinabat, paronychia ingenti cum subtilitate tollens. Sextus aquam apportabat redolentem, qua manus ac pedes consulis aspersit. Et, ut brevi me expediam, iste lintheum tersui, ille pectinem frictui, hic speculum visui obiecit, cunctaque haec non minore cura, ac studio facta sunt, quam quo mappas geographicas apud nos demitteri, et illuminare solent Geometrae. Tunc ego mecum: Quantum non temporis, quantum non sumptus postulabunt ornatus mulierum, cum in viris ornandis et expoliendis, fingendis et pingendis, tanto opus sit molimine. Et sane mulieres Martinianae omnem modum excedunt, tantoque vitia corporis fuco occulunt, ut prae nimio nitore sordeant. Nam, ubi sese sudor cum unguentis consociet, ilico itidem olent, quasi cum multa iura confundit coquus: quid oleant, nescias, nisi id unum, ut male olere intelligas. [§ 16] Hospes meus hunc in modum tersus, pictus, comptus, et pumicatus, ad palatium Syndici tendit, tribus tantum pedissequis stipatus. Cum in atrium ventum est, calceos deposuit, ne pavimentum marmoreum luto vel pulvere feriret. Integram fere horam suspensus stare cogeatur, antequam de adventu eius certior fieri posset Syndicus, nec intromissus est, nisi praeviis munusculis, quibus favor custodum in hac regione emi solet. [§ 17] Syndicus, aurata sella sublimis, postquam me, cum hospite introëuntem, conspicatus est, in risum immodicum effunditur, ac mox tot stultas et ineptas quaestiones proponit, ... ut mihi sudor ad imos Manaret talos ... Ad quamvis responsionem Ingeminat tremulos, naso crispante, cachinnos. Credebam, histrioniam agere, hic inter virtutes poni, cum virum adeo comicum Syndicum sive eum, qui secundum in senatu locum tenet,



respublica fecisset, mentemque de ea re mox hospiti meo indicabam. At testatur ille, virum esse dotibus animi maxime conspicuum. Nam quanta illi esset ingenii vis, patuit e multitudine negotiorum diversae naturae, quae in viridi etiam aetate gesserat. Tanta enim illi perceptionis erat facilitas, ut inter pocula res maximi momenti perageret, imo prandens, aut coenans inter quodvis ferculum, legem aut edictum scribere soleret. Quaerebam tunc, quantae durationis esse solerent edicta, celeriter adeo concepta: regessit ille, vulgo durare, donec visum fuerit senatui eadem rescindere, ac antiquare.

[§ 18] Syndicus, postquam semihorae spatio mecum fabulatus erat, verbaque effuderat, ea fere loquacitate, qua tonsores nostri Europaei, ad hospitem meum conversus, inter servos, ait, suos me quidem receptum iri, quamvis animadverteret, me ob ingenii tarditatem Verveum in patria, crassoque sub aëre natum, ac proinde ad munus aliquod insigne vix esse idoneum: Ego etiam, ait hospes, notavi insitum illi quendam torporem; at, si spatium detur diutius rem perpendendi, haud insulse iudicat. Regessit Syndicus: Hic opus est ministris promptis et expeditis, cum negotiorum multitudo nullam cunctationem patiatur. Hoc dicto, sedulo examinare coepit vires corporis mei, iussitque grave pondus humo tollere: id quod cum absque molestia fecissem, Natura, inquit, quam in dotibus animi nactus est novercam, defectum istum robore corporis quodammodo compensavit. Iubeor deinde paulisper discedere in alium locum, ubi a ministris ac servis mira quidem comitate excipior, at simul, nimia eorundem garrulitate, ac gesticulationibus, misere vexor. De orbe nostro tot mihi fecere quaestiones, ut, quid amplius dicerem, in promptu non esset, adeo, ut vera falsis miscere tandem coactus, curiositatem tamen eorum satiare nequirem. [§ 19] Tandem reversus hospes indicat, inter Excellentiae suae aulicos me locum accepisse. E praecedenti Syndici sermone coniicere quodammodo poteram, munus istud, mihi destinatum, non magni ponderis fore. Ominabar, aut custodis aulici aut dispensatoris officium, mihi conferendum, at, roganti hospitem, quodnam istud esset munus, respondet: Excellentia sua gratiosissime te constituit vehiculi sui baiulum primarium (Porteur) cum annuo stipendio viginti quinque stercolatarum (quaevis stercolata Martiniana respondet duobus thaleris nostrae monetae). Pollicitus est insuper, nemini hanc operam te praestitutum nisi sibi ipsi, et nobilissimae coniugi. Hoc responso, tanquam fulmine percussus, pathetice exposui, quam indignum hoc esset ingenuo homine, et honestis parentibus nato. At, loquentem inerruperunt aulici, catervatim accurrentes, ac ineptis gratulationibus seminecem conficientes. Nam Martiniani omnes leves, futiles, ac importuni locutores, nullo rerum pondere nixi, verbis humidis et lapsantibus diffluunt. Tandem in dormitorium introducitur, ubi coena parata stabat, et postquam modice coenaveram, cubile mihi monstratur, ubi quiscerem. . [...]

[§ 22] Vix somno experrectus eram, cum intrat cubiculum cercopithecus quidam, qui se collegam meum profitetur, cum restibus, ac cauda fictitia, quam natibus meis applicuit, ut ad figuram aliorum simiorum effingeret: iubet deinde me paratum esse, quoniam Syndicus intra horae spatium, ad Gymnasium, quo invitatus publico programme, cum aliis senatoribus fuerat, esset portandus. Promotio erat Doctoralis, hora decima quarta ante meridiem.



Notandum hic est, quamquam ob perpetuam lucem, dies a noctibus discriminari nequeant, dies tamen in certas descriptos esse horas, semihoras, et quadrantes, idque ope horologiorum, sive clepsydrarum, adeo, ut dies cum nocte viginti duas horas Martinianas complectatur. Hinc, si cuncta civitatis horologia simul deficerent, impossibile esse oppidanis horas restituere, antequam e locorum vicinorum horologiis defectum suorum emendarent. Solaria enim nec sunt, nec esse possunt, ob perpetuam umbrarum absentiam, rectos semper, et supra verticem sidere vibrante radios. Hinc, ubicunque puteum foderis, totus illuminatur. Quod vero ad annum attinet, is ad cursum planetae Nazar dirigitur, ac ordinatur, qui altero tanto citius, quam firmamentum subterraneum, periodum circa solem absolvit. [...]

[§ 23] Hora decima quarta vehiculum auratum succollantes, ad Gymnasium portamus Excellentiam suam. Intranter in auditorium, ordine sedentes conspicamur Doctores ac Magistros, quorum quisque praetereunti Syndico assurrexit, ac caudam illi obvertit. Reverentiae hoc signum est. Hanc ob causam adeo studiose caudas exornant. Mihi vero stultae, ac ridiculae visae salutationes hae inversae. Nam tergum alicui obvertere, aut frigoris, aut indignationis indicium apud nos est: at suus cuique genti gustus. [...]

[§ 27] In Curiis iustitiae causae mira celeritate diiudicantur, adeo, ut non possem non ingenii velocitatem, et facilem istam apprehensionem, huic genti peculiarem, admirari. Nam antequam telam actionis absolverint advocati, consurgent saepe iudices, et suffragia non minus expedite, quam eleganter ferunt. Curias has identidem frequentavi, auditurus modum procedendi Martinianum. Sententiae mihi initio videbantur solidae, et aequitate naturali nixae: at paulo curatius examinanti, iniquae, stultae ac contradictoriae apparuere, adeo, ut lusui aleae rem committere, quam sententiis iudicum Martinianorum causam subiicere satius duxerim.

[§ 28] De legibus huius gentis nil dicere possum, ob ingentem, cui obnoxiae sunt, vicissitudinem; nam leges, ac iura hic vestium instar, quovis anno mutantur. Hinc multi ob crimina puniuntur, quae non crimina erant eo tempore, quo committebantur: multi etiam ob id solum condemnantur, quod actiones eorum, quae secundum leges licitae erant, postea, nova edita lege, factae sunt illicitae. Eo intuitu a Tribunalibus inferioribus ad superiora appellant omnes, sperant quippe, lite pendente, antiquatum iri legem priorem. Vitium hoc nascitur ex prompta nimis legum conceptione. Huc adde, quod gens haec novitatis avidissima, ob solam antiquitatem, utilissimas leges et consuetudines nauseet. Nec minorem in cultu corporis, ac vestibus notavi levitatem.

[§ 29] Advocati hic magni aestimantur ob disputandi subtilitatem: et sunt inter illos, qui rota, ut aiunt, figulari versatiores, non nisi dubiae, aut iniustae causae patrocinium in se suscipiunt, monstraturi, quanta illis in disputando sit dexteritas, et qua arte atrum in candidum vertere valeant. Ob istam ingenii subtilitatem saepe iniquae causae patrono favent iudices, quibus sufficit, logice ac methodice ventilatam esse litem. Hinc dicere solent: Causae



quidem iniquitatem perspicimus, attamen, cum tanta arte, ac methodo sit defensa, non possumus, quin ob patroni dexteritatem, ab aequo paulisper discedamus. [§ 30] Iura hic a Doctoribus diverso pretio, pro causarum natura, docentur: exempli gratia, qui docent auditores malam et iniquam causam tueri, aut, ut Graeci aiunt, ton ettw logon kreittw poiein, viginti stercolatas, qui vero aequam, decem tantum stercolatas pro labore exigunt. Formalia iuris tot ac tanta sunt, ut in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fundum perspicere non liceat. Nam cum Martiniani indolis maxime sublimis, et celerrimae perceptionis sint, omne, quod simplex ac nudum est, nauseant, subtilia tantum, nodosa, atque implicita suspicientes.



Francisci Petrarcae

De Hanibale Carthaginiensium duce, 8

[1] Rebus ita se habentibus Hanibal, ad famam rerum in Africa gestarum mutate velut fortune miraculo stupefactus, in extremo angulo Italiae se se continens herebat, et ipse per eosdem dies, cum romano consule Gneo Servilio exercitum in Brutiis tunc habente manum conserens, adversam eius prelii fortunam, ut Valerius Antias testatur, expertus erat, quinque milibus hominum amissis. [2] Que res, quoniam nec apud alium quempiam auctorem nec in romanis annalibus scripta est, non sat fidei meretur; pugnatum quidem constat, de eventu autem, quem Valerius ille pro comperto affert, fama est ambigua; idque indicio est pugnam ignobilem fuisse.

[3] Nobilior per eosdem dies Magonis in Liguribus pugna fuit adversus Quintilium Varum pretorem et Marcum Cornelium proconsulem romanum. Concursum est in agro Insubrium et tam ancipiti Marte certatum, ut romane legiones in periculo fuerint terga vertendi; denique tam diu res in dubio fuit, donec Magonis grave vulnus ipsum quidem prelio excedere, suos vero duce amisso terribitos fugere compulit, de exercitu eius cesis quinque milibus. [4] Nec Romanis victoria gratis stetit, duobus milibus ac trecentis in acie amissis, in quibus et centuriones aliquot et tribuni militum tres pluresque nobiles equites fuerunt ab elephantibus interfecti. [5] Dux saucius quanto per dolorem vulneris expeditius quivit ad Ligusticum mare atque Albigaunum properavit, illi reor consilio ut, si victores urgerent, equoreum sibi ad fugam iter esset, quod Romani tunc classem illis in locis non haberent. Sic uno tempore duo fratres peni duobus Italiae longe distantibus in angulis rem gerebant, trust ab hostibus, a civibus expectati; iisdem siquidem diebus, quibus Carthaginiensium legatos ad Hanibalem missos memoravimus, altera legatio ad Magonem missa erat.

[6] Illa, eum iam victum inveniens, docet quo in statu sint res patrie: satis superque negotii domi esse; aliena armis appetere non eius temporis nec presentis esse fortune; redeundum igitur ferendamque opem suis atque Italia discedendum; id senatum iubere Carthagini, neque id sibi soli sed Hanibali fratri per alios legatos precipi. Paruit haud invitus Mago. [7] Qua in re non tam publico cessit imperio, quam necessitati proprie morem gessit, et vulnere

gravatus in presens, et in posterum metuens sibi que prospiciens ne, si hostis instaret, et periculosa illis mora esset in locis et fuga inde difficilis; eo maxime quod, Carthaginiensibus Italiam relinquentibus, facile Ligures ad naturam suam, hoc est ad romanum imperium, reversuros crederet. [8] Auditis igitur legatorum verbis, statim exercitu in naves imposito ipse quoque conscendit, sperans et oportunius curari posse vulnus in navi et lenius tolerari; frustra id quidem, nam, dum arrepto itinere Carthaginem petit, ingravescente vulneris dolore prope Sardiniam in alto moritur.

[9] At non tam convulsu facilis Hanibal, qui mandata de reditu ingemiscens rugiensque et vix lacrimis abstinens audivisse dicitur. Quibus peractis 'Olim' inquit 'me tacite revocabant, et



stipendium negantes et commeatum et exercitus supplementum. Ecce nunc aperte agitur; viva voce me revocant. [10] Parebo itaque, nam necesse est. Non a populo romano sed a senatu carthaginensi, neque armis hostium sed meorum odio atque invidia victus sum, et ignominioso meo reditu gloriabitur quidem nec immerito Cornelius Scipio, sed longe magis Hanno letabitur qui, domum meam evertere aliter non valens, comunem patriam diruit, ut sub una tandem ruina publica pereamus'. [11] His dictis et ipse naves, quas iampridem hoc precogitans armaverat, cum electo conscendit exercitu, ceteris qui futuri oneri potius quam usui videbantur sub pretextu presidii oppidorum, que adhuc in Brutiis possidebat, sepositis ac relictis. Ita vero usque in finem astu et crudelitate artibus suis usus est; nam simul et se sub titulo honoris sarcina levavit inutili, et his quos sibi metu non fide deditos sciebat vanum liquit auxilium, et hostibus signum dedit nondum se, licet abeuntem, repetende spem Italie curamque dimittere. [12] Italicos deinde quam plurimos, quod sequi illum in Africam recusantes Lacinie Iunonis in templum confugerant, quod ea etate toto orbe religiosissimum habebatur, inter ipsas aras inhumane prorsus crudeliterque mactavit. [13] Hisque velut victimis cesis felicius navigaturus, anno post Italie ingressum sexto decimo discessit, tristior in patriam suam rediens, quam in exilium quisquam ire sit solitus. Sic Italie assueverat, sic animo incubuerat, ut e natali solo sibi per vim detrahi videretur, sepe respectans suspiransque, sepe oculum ipsam ad Italiam reflectens et de faucibus illam suis excidis dolens, ac promiscue deos atque homines obiurgans, nullum magis quam se ipsum, quod non ad Cannas consilio Maharbalis romano cruentus sanguine recto Romam calle petisset, et quem animum invadende Carthaginis inter tot suorum clades Scipio iuvenis habuisset, eum ipse, dux bello duratus, inter tot victorias tot milia hostium occisa non habuerit ad invadendam urbem Romam. Cum his curis et seris querimoniis abibat Hanibal.



Africa Liber VI

Mago moriens queritur

Hic postquam medio iuvenis stetit equore Penus,
Vulneris increscens dolor et vicinia dure
Mortis agens stimulis ardentibus urget hanelum.
Ille videns propius supremi temporis horam,
Incipit: "Heu qualis fortune terminus alte est!
Quam letis mens ceca bonis! furor ecce potentum
Precipiti gaudere loco. Status iste procellis
Subiacet innumeris et finis ad alta levatis
Est ruere. Heu tremulum magnorum culmen honorum,
Spesque hominum fallax et inanis gloria fictis
Illita blanditiis! heu vita incerta labori
Dedita perpetuo, semperque heu certa nec umquam
Sat mortis provisa dies! heu sortis inique
Natus homo in terris! animalia cuncta quiescunt;
Irrequietus homo, perque omnes anxius annos
Ad mortem festinat iter. Mors, optima rerum,
Tu retegis sola errores, et somnia vite
Discutis exacte. Video nunc quanta paravi,
Ha miser, in cassum, subii quot sponte labores.
Quos licuit transire michi. Moriturus ad astra
Scandere querit homo, sed Mors docet omnia quo sint
Nostra loco. Latio quid profuit arma potenti,
Quid tectis inferre faces? quid federa mundi
Turbare atque urbes tristi miscere tumultu?
Aurea marmoreis quidve alta paratia muris
Erexisse iuvat, postquam sic sidere levo
In pelago periturus eram? Carissime frater,
Quanta paras animis? heu fati ignarus acerbi
Ignarusque mei!" Dixit; tum liber in auras
Spiritus egreditur, spatiis unde altior equis
Despiceret Romam simul et Carthaginis urbem,
Ante diem felix abiens, ne summa videret
Excidia et claris quod restat dedecus armis
Fraternosque suosque simul patrieque dolores.